





94

VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE  
D O M I N O  
**M. IOANNI AVGVSTINO  
EGENOLFF**

NOVVM  
DIACONI ET COLLEGAE EXTRAORDINARII  
MVNVS,

QVOD INGRESSVS EST;

DIE III IDVVM AVGVSTI

A. O. R. MDCCXXXVIII.

GRATVLATVR

**IOANNES FRANCISCVS ENGELBERTVS  
DE FINANCE**

IN ILLVSTRI SCHOLA PORTENSI

LINGVAE GALLICAE PRAECEPTA  
TRADENS.

—  
N V M B V R G I ,

TYPIS BALTHAS. BOSSOEGLIL. PRIVIL. TYPQG.



\* \* \*

Prodere, quos hilari volvis sub pectore plausus,  
Laetificis numeris, nunc age, Musa, decet!  
Prome igitur plectrum, longo velut excita somno,  
Et fruere hic vatum rursus, aperta, chorus!  
Hic vir hic est, reticere nefas est cuius honores,  
Quos in Portensi fuscipit, ecce! schola.  
Huius in adventum concessaque munera carmen,  
Si faveant Musae, composuisse velim.  
Tarda, quidem officium iam nunc se cingit ad istud.  
Non tamen hinc sero nostra Thalia venti.  
Quae veniunt, tarde, nunquam, si feria, sero:  
Sicque dabis veniam, VIR VENERANDE, mihi.  
Non ego TE noram, nostrae quum moenia Portae  
Intrares: sane nec TIBI notus eram.  
Sed simul ac novi, quam sit TIBI vivida virtus,  
De coelo missum protinus esse puto.  
Nec vanum augurium: non me spes irrita fallet,  
Ista nec incassum verba secunda loquar.  
Ingenii vis summa TVI, et solertia, testes  
Sunt mihi, quo verbis credar inesse fidem.  
Haec SALANA suis stupet inclita MATER ALVMNIS:  
Dudum his debuerant praemia digna dari.  
Hoc erat, eximiis quod erat fas artibus addi,  
Unde magis Clario notus honore fores.  
Maximus eloquii Romani Tullius auctor  
Creditus est, donec Roma superba stetit.  
Postea facundas scandens Chrysostomus arces  
Dicitur, ipse ingens hinc habuisse decus.

Digna pari cui non facundia laude videtur,  
Quae liquido cursu profluit ore tuo?  
Caetera dona tibi si deessent forte creato,  
Una ea pro cunctis posset adesse tibi.  
Sed cum nec reliquum fautrix natura negavit,  
Ingenio, in studiis, et simul arte vales.  
Quid memorem egregios (potes his et vincere multos)  
Quos, in te, mores dexteritate probas?  
Quid mite ingenium, faciem frontemque serenam,  
Nec tamen insigni quae gravitate caret?  
Additur his pietas, cui sunt coelestia curae,  
Quae non culpata pectora labe notat.  
Additur huc et iusta fides, pretiosior omni  
Quae magis est dono: rara fit ista licet.  
Rara adeo, ut toto vix inveniantur in orbe,  
Queis, nisi vis falli, fidere iure potes.  
Non, si cuncta velim, breviter describere possem,  
Quae dotes animi sunt, EGENOLFFE, tibi.  
Non ego fuscipiam (namque hic labor irritus esset,)  
Virtutes cunctas commemorare TVAS.  
Namque nimis multae, quas pagina prendere posset  
Parva, nec his digno condecorata stilo.  
TE satis atque super commendat copia larga  
Doctrinae, primum quae referenda fuit.  
Quicquid habet Latium, priscis memorabile chartis,  
TE didicisse iuvat, Graecia quicquid habet.  
Quaecunque et nostris docti sibi cognita reddit  
Temporibus, pulcro pectore fixa sedent.

Tam raras animi dotes celeberrima Porta  
Admirans tacite suscipit atque probat.  
His pretium iustum studiis sacrata iuventus  
Portensis statuit, magna que iure facit.  
Illorum spes magna animos et pectora nutrit,  
Plurima quod de te commoda ferre queant.  
Suggestus cathedraeque simul tua dogmata sacra,  
Quae profers, avidis auribus excipiunt.  
Me quoque spes non vana subit, verum excitat ingens,  
Hinc capere in primis emolumenta queam.  
Namque salutasti cum primum limina Portae,  
Sum tibi visus ego dignus amore tuo.  
Deinde etiam manifesta mihi tu signa dedisti,  
In me quod magnus sit tuus usque favor.  
Hoc me perge, precor, complecti semper amore:  
Non ego, crede mihi, deses amicus ero.  
His etiam, quae, sincero compulsus amore,  
Composui, metris, qualiacunque, fave.  
Ecquid adhuc pietas his addet, pectora tangens?  
Quid? nisi, quae restant, addere vota, iubet.  
Vive diu, longumque vale, salvusque senesce,  
Delicium Portae, VIR VENERANDE, tuae.  
Gratia larga dei, favor, et clementia coelo,  
Responsura tuis, defluat, auspicii.  
Fallor? an e coelo iam vox defertur in auras  
Laeta sonans: VOTI SIT RATA SVMMA TVI!

78 M 496

ULB Halle  
001 618 148



3

TA -> 0L

K018

b7



VIRO

PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO,  
DOCTISSIMOQVE

D O M I N O

M. IOANNI AVGVSTINO  
EGENOLFF

NOVVM

COLLEGAE EXTRAORDINARII

M V N V S,

OD INGRESSVS EST;

DIE III IDVV M AVGVSTI

R. MDCCXXXVIII.

GRATVLATVR

RANCISCVS ENGELBERTVS

DE FINANCE

STRISCHOLA PORTENSI

GVAE GALLICAE PRAECEPTA

TRAEDENS.

N V M B V R G I ,

ALTHAS. BOSSOEGELIL, PRIVIL. TYFOG.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow

